



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

114. Fluuius exundans: Ex Plin. l. 8. Epist. 17.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

videor, quarum illa in silice requiescit, illa aliam refrigerat, sicut alia, estque ex aqua quæ quid trahat; est quæ ceruina terram delpectet, victum inde quaesitura.

Vide quoque apud *Elianum*, libro 13. de animalibus, cap. 18. egregiam descriptionem horti Regii Indorum.

## M O N S.

Ex *Maffæo*, lib. 5.

*Descriptio* CXIII.

**S**ed præcipua camino Tarnatenfi nobilitas; Mons in nubes assurgit excelsus, & arduus, cuius inferiora densis nemoribus vestiuntur: superiora ex incendijs glabra & horrida sunt: in vertice crater hiatus vasto in plures circulos circumductos maiores minoribus, ad speciem amphitheatri discedit, inde per æquinoctia, maximè certis flantibus ventis, cum horrifono fremitu flammæ atro mystæ fumo & fauillis erumpunt, & omnia latè loca cineribus complent.

## FLVVIVS EXVNDANS.

*Plinius* lib. 8. epist. 17.

*Descriptio* CXIV.

**N**unc istic quoque immite & turbidum cœlum, hic assidua tempestates & crebra diluua: Tyberis alueum excessit, & demissioribus ripis altè superfunditur; quamquam fossa, quam providentissimus Imperator facit, exhaustus, premit valles, innatat campis: quæque planum solum pro solo cernitur, inde, quæ soler flumina accipere, & permista deuehere, velut obuius retrò cogit; atque ita alienis aquis aperit agros, quos ipse non tangit.

Anio delicatissimus amnis, ideoque adiacentibus villis velut inuitatus, ac retentus, magna ex parte nemora, quibus inumbratur, & fregit, & rapuit. Subruir montes, & decidendum mole pluribus locis clausus, dum amissum iter quaerit, impulit tecta, ac se super ruinas e-

uexit atque extrulit. Viderunt hi, quos excelsioribus terris illa tempestas non deprehendit: alibi diuitum apparatus, & grauem supellectilem, alibi instrumenta ruris, alibi boues, aratra, rectores, hic soluta & libera armenta: atque inter hæc arborum truncos, aut villarum trabes, atque culmina variè lateque fluitantia: ac ne illa quidem loca malo vacauerunt, ad quæ non ascendit amnis, nam pro amne imber assiduus, & deiecti nubibus turbines, prompta opera, quibus pretiosa rura cinguntur, quassata, atque etiam disiecta monumenta, multi eiusmodi casibus debilitati, obruti, obruti, & aucta luctibus damna.

## FLVMEN ALDVABIS.

Ex *Cæsare* lib. 1. de bello Gallico.

*Descriptio* CXV.

**F**lumen Alduabis, ut circino circumductum, penè totum oppidum cingit: reliquum spatium, quod non est amplius pedum DC. quæ flumen intermittit, mons continet magna altitudine, ita ut radices eius montis ex utraque parte ripæ fluminis contingant. Hunc murus circumdatus arcem efficit, & cum oppido coniungit.

## PONS IN RHENO.

Ex eodem lib. 4. de bello Gallico.

*Descriptio* CXVI.

**C**æsar Rhenum transire decreuerat, sed nauibus transire, neque satis tutum esse arbitrabatur, neque suæ, neque populi Romani dignitatis esse statuebat. Itaque etsi summa difficultas faciendi pontis proponebatur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemque fluminis; tamen id sibi contendendum, aut aliter non transducendum exercitum existimabat. Rationem igitur pontis hanc instituit, Tigna bina sesquipedalia,

pau-